



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus LX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

*ham assumptæ mortalitatis nolunt.* O quot ex fidelibus hanc parcitatem imitantur! fateris & credis Christum Deum? sed non colis ut Deum, thesaurum, negas cultus debitum thus. Orationibus instas, & Divina curare videris, sed eleemosynam pauperibus subtrahis? Das thus; sed aurum negas. Eleemosynarius es, sed carnis licentiam non fugis: Das aurum, sed myrrham mortificationis negas. Eja Christiani, liberalem in Deum animum induamus, & quemadmodum Reges, pro largo vespere, largissimum tulerunt, ita nos relatueros, si prius, pro debito obtulerimus, confidamus.



## MODUS LX.

**D**ucitur à partibus communibus Orationis. Exordio, Propositione, Narratione, Confirmatione, Confutatione, Peroratione: quas non ideò hic recenseo, quod omnes semper requiram, aut à se omnimodè distinguam: sed neque de iis disputandi cum Rhetoribus, mentem suscipio. Sentiant quod lubet. Ego finem assequor, cum ostendo, hac ratione, formari aptè sacram orationem  
cujus non quoad formam, sed quoad  
materiam, sit.

In Feflo immaculatè conceptæ Deiparæ  
Virginis, de qua natus eft Jelus.

**E**xordium eft Propofitio, Cum in prima conce-  
ptione Deiparæ Virgini, maternitatem ejus,  
his verbis. *De qua natus eft Jelus* Ecclefia memorat,  
id à fuis fidelibus exigit; ut ex cognita conceptæ  
virginis Maternitate, conceptionis ejus dignitatè,  
& privilegia metiamur, Inter cætera verò ejusmodi  
ornamenta, præcipuum illud, pie creditur; quod fit  
fine labe originali concepta, Huic expendendo  
tantisper infitemus, quatenus ad gratum dile-  
ctæ Deo virginis cultum, animis excitetur.

## Narratio.

Notius eft, quam ut repeti fit necesse, quemad-  
modum primis Parentibus legem Divinam trans-  
gressis, mors corporis, & animi in posteris fit trans-  
fufa. *Deflendens parens ait Chryfol, Ser. III. qui nos  
tantarum miferiarum reliquit hæredes, qui non fo-  
lū collata bona perdidit, fed omnes postero fuos, tā fe-  
ris creditorib. obnoxios, fic reliquit vitiū Seminis vitiū  
eft totius arboris, quod tamē ita oportet exiftimem⁹  
ut quanquam in omnes qui de lumbis Adam pro-  
cedunt, deriveretur macula originalis, ea tamen ipfa,  
non femine affecto devehatur, fed ex pacto cum  
Adam inito, posteris ejus imputeretur; ut qui filii e-  
jus nascuntur, nascuntur simul filii iræ, exules cæli,  
mancipia peccati, servi peccati, servi diaboli, Scili-  
cet, ad Rom. 8. v. 12. Per unum hominem peccatum*

in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. O durum jugum filiorum Adam! O mancipatum horrendum! prius per peccatum mori; quam mundo caperis vixisse; prius hostem DEI videri, quam homo nascaris; prius carnifici subjici, quam legis naturam pervideris; justus es Domine, & justa judicia tua. Verum tamen loquar ad Dominum, quia pulvis; siccine hic fons sceleris, omnes omnino rivus inficiet? siccine, manum avarissimi accipitris, nulla avis evadet? scio, scio, quod si sibi, ipsa per se natura subvenire potuisset nunquam eam ad reparandam auctor in se suscepisset. Chrysol. ubi supra, at num, ubi abundavit peccatum, non superabundabit tua Deus gratia? num naturæ leges non cedent, supremo legislatori? num ut alios, pro merito sinas, illam quoque de qua natus est, Jesus, illam tui filii illam Dei de Deo matrem, originali labe affici permittes, num iterum, id tu quoque patieris, o potentissime, sapientissime, amantissime tuæ matris nate? an quod edixit deinceps Aug. contra Manic. jam nunc in ejus conceptione decernes? *Si potuit inquinari Manichæe Mater mea, cum nasceretur; potui & ego inquinari, cum ex ea nascerer.* Hic mihi sensus de tua pietate est, hunc omnibus insitum ingeneratumque cupio: nequaquam, Mariam labe originali in sua conceptione affectam; nequaquam, ullum momentum permissum, qui in Marem Dei tui peccato, & Satanæ, concessum fuisset.

## Confirmatio.

Fecit id, qui & fecisse potuit, & fecisse voluit, & se voluisse, non obscuris scripturæ, patrumque autoritatibus indicavit. An enim non posset Creator de sua creatura, pro placito disponere? aut summus supremusque omnium legum lector, legem ad suum libitum restringere? an iterum id nollet? quod in suum maximum cederet honorē, quod amor communis, apud filios efficeret, si penes illos jus omne, defendendi ab iniuria Matrem esset? quod ingens decoris ratio, ne Mater Dei esset serva Diaboli, postularet? *Decebat, decebat, ut ea puritate, quàm major sub Deo intelligi nequit, virgo illa niteret, cui Deus Pater, unicum filium suum, loquor cum D. Ansel. in Concept. Quem de corde suo, equalem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebet; ita dare disponebat, ut naturaliter esset, unus idemque communis Dei Patris, & virginis filius, & quam ipse filius, substantialiter sibi facere Matrem eligebat, & de qua Spiritus S. volebat, & operaturus erat, ut conciperetur & nasceretur ille, de quo procedebat.* An verò ea maxima sub Deo puritas, quæ tantam labem admittit? an ea quæ Angelis inferior est? an ea, in qua, Domina subditis cedit? Regina cœli, inferis mancipatur? Nequaquam. *Ideoq; totum quidquid in Maria fuit, possedit Spiritus S. ait D. Ildefon. de virgine Maria, quoniam virtus altissimi eam obumbravit, in conceptu & in partu. Et sicut ab omni astu libidinis libera fuit, ita & ab omni pressura maledictionis, cujus caput, est maledictio peccati originalis; Sed jam hodie; à virgine concussata, ut impleretur dictum serpenti.*

Gen. 3.

Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Inimicitias suscepit serpens, cum Eva muliere, & cum semine eius, & contrivit caput nostrum, primum hominē, & crexit caput suum, ad afflandos pēnifero veneno peccati originalis, omnes homines. Mutantur hodiē sortes, pro inimicitis nostro malo susceptis; indicantur inimicitia nostrā saluti bellaturā. Substituitur mulieri mulier, Evā Maria: Et quemadmodū Evā victor serpens, caput nostrū contrivit, peccato originis inflictio primo utiq; & capitali: Ita caput ejus conteritur, eodem peccato, ab admiranda victrice Maria, per Christi gratiam profligato. Insidiatur quidem & nunc calcaneo ejus, hominibus virginis conceptionem & gratiam Christi nati secutis, sed, sibi ipsi semel victus diffidit: Nec jam ut continuus triumphator caput superbum attollit, sed ut calcatus insidiator, per terram serpit. *In Mariam* ait Hieron. citatus in officio, à sac. Rituum congre. approbato *totius gratia, quæ in Christo est, plenitudo venit, quanquam aliter.* Fatemur id libenter, & idcirco, quod sacer textus mutat, ut ibi vulgata legit, *ipsa conteret caput tuum, alij legant, ipse conteret, utriq; cōvenire dicimus; Christo & sacratissimæ ejus Matri quanquā aliter.* Nā Christus, intemeratus ex naturā verbi, humanitatē terminātis: in B. autē Maria. *Quic quid gestū est, totū puritas & simplicitas totū veritas & gratia fuit, totū misericordia, & iustitia, qua de Cælo prospexit, & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Hieron. *ubi supra, Nō natura benignitas, nō seminis puritas, nō parvū sãctitas, tãtū muneris cōtulit. Sed misericordia & iustitia, quæ de Cælo ex liberalitate Dei prospexit.*

Unde

unde & Proverb. 8. 22. ipsa de se, in sensu communi Ecclesie loquitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Utique universæ viæ Domini, Misericordia & veritas: electio salvandorum, reprobatio peccatorum, Harum initio viarum, antequam peccatum vires suas expediret; antequam justitia, sententiam in prævaricatores, de supplicio labis originalis subeundo, ferret; & antequam à peccato originali justificandos, misericordia secerneret: jam Maria; à Deo possessa erat, ne manus, stygii hostis in illam injiceretur, ne dēs, vel unicus fauciare, ne unguis in eam impingeret. Unde late, toto illo capite, hæc Beatissimæ Mariæ liberatio, admirabilis, spiritus sancti eloquio celebratur. *Ab eterno pergit ibi, ordinata sum.* Ita est ut domus Dei, ut habitaculum spiritus sancti, ut castrorum acies; Quis autem ordo, si ad talem domum, si ad tale habitaculum, si ad talia castra hosti accessus pateat? imò si invasio & præda permittatur? Hoc certe sinere, est specialis providentia Dei eximere, & communi abyssu humanæ calamitatis, singulariter electam à Deo, & præelectam virginem, immergere. *At nondum erant abyssi, & Maria concepta erat.* Abyssi, utique peccatorum. Abyssi prævaricationis, abyssi innumerarum calamitatum, hominibus cum peccato originis immissarum; quas, qui primus sensit, primus lacrymis suas miseras perfudit; sed, non affudit illas, oculis immaculissimæ virginis, jam ante Deo intentis. Unde, *nec dum fontes aquarum eruperant, cum Maria conciperetur, nec dum, & montes*  
*gravi*

*gravi mole constiterunt* montes superbiæ, montes affectatæ Divinitatis, quorum pondus, ad inferos genus humanum depressit. Sic nos miseri, gementes & flentes mundo edimur, flentes præ calamitate peccati, gementes præ pondere molis & debiti. B: autem Maria, nunquam flens, nunquam gemens in oculis Dei visa: sed *ludens coram eo omnî tempore, ludens in orbe terrarum*, teatro nostræ infelicitatis, scenaque doloris. *Fundamenta ejus in montibus, sanctis*, inquit Psalm. 86. Nos nascituros valles, in quas, tot sæculorum confluunt lacrymæ & calamitates: illam; montes: nec montes quæ gravi mole consistant, & premendo sint, sed montes qui cælos usque pertingant; & eam sublimem faciant. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. Mons sanctus Abraham, mons Isaac, Jacob: at ubi illi verticem attollunt, ut sancti dici possint: ibi Mariæ fundamenta jaciuntur. Nemo sanctus, nisi justus, nemo sanctus nisi à peccato liber, quales in vita Abraham, Isaac, & Jacob, atque alii sancti: in fundamentis autem vitæ. & primo conceptionis instanti D. Virgo Maria. Parum id est. *Fundamenta ejus in montibus sancti*. Montes sunt Angeli, Archangeli, & quæcunque cælum decora memorat. Montes sunt, & montes sancti horum quoque sanctitas, fundamentum sanctitatis, in Maria est. Quale illi semper, quam puri, quam Deo grati, talis Maria in sui conceptione. Pura, Deo grata, sancta, immaculata. *Diligit Dominus portas, & ingressum in vitam, Mariæ; Super omnia tabernacula Jacob. Hos Rachab, nos peccatorum, nos Babylonis, nos confusio-*



fusionis memores simus, in Maria ait Chrysol: serm. 117. *Sanguis pluit, Caro stupuit*, unde & Psaltes concludit, *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*; Ea scilicet tuæ mentis in tui conceptione, & vitæ fundamento dispositis, ea animi compositio: quæ est lætantium omnium Angelorum, in accepta beatitudinè: hominum iustorum, in spe beatitudinis, & vera interna sanctitate: præter quam, lætus nemo vivit.

### Confutatio.

Quam jam hic lubens, quam lætus, illud Gabrielis Archangeli? *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum. Luc. 2.* Instet genti prævaricatrici ultrix ira Dei, urgeat puteus os suum. *Ne timeas Maria. Exerat minas Paulus, ad Roma. 3. Omnes peccaverunt in Adam. Ne timeas Maria. Non morieris Esther. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta. Neque tamen ideò servatoris gratiâ non indigebis. Psalm. 85. Eruiisti animã meam, ab inferore.* Queri potest. Cur dicat se inde erectum, quò nondum pervenerat. Respondet ad quæstionem ibidem. *D. Aug. Nescio quis habet causam molestam, mittendus erat in carcerem. Venit alius, defendit eum, Gratiâs agens quid dicit. Eruiisti animã meã de carcere. In hoc non erat, sed quia talibus meritis agebatur, ut nisi subuentum esset, ibi esset. Recte dicitur liberari, quò per Liberatorum suum non est permissus duci. Non est extra Christum, sed per Christum libera Maria; nec tamen libera quia à peccato, post eius maculam, liberata; sed quia à peccato præfer-*

præservata, tota pulchra, tota sine macula, amica Dei, Mater Christi, sponsa Spiritus Sancti, Domina nostra. Absit ut illi id imponamus, quod exprobrari possit, quod tegi debeat aut laudes eius sanctissimas velare. Gen. 20. Comperisset Abimelech, quod chara, uxor esset Abraham, & propter eam à Deo flagellaretur, tulit oves, & boves, & servos & ancillas, & dedit Abraham. Sane autem dixit: *Eccè mille argenteos dedi fratri tuo. Hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum sunt, & quocunq; perrexeris, memineris te deprehensam.* Grandis accusatio, innocentissimæ Saræ. Velamen oculorum ad omnes, & adjecta opprobatio. *Memento te deprehensam.* Ah! quam gravius hæc ferirent, Deiparam virginem, si ferire possent: Possent autem, si Stygius triumphator manus suas ostentaret, aut si cœlites Triumphatores, palmas suas numerare valerent, cum hoc Epigraphæ. *Memento te deprehensam.* Memento à te styge correptam, à cœlitibus gratiâ victam, memento te deprehensam.

### Peroratio.

Alia mihi de te sentiendi semper suscepta ratio, aliam suscipi ab omnibus quoque intimè cupio: ô immaculata semper, Deipara & virgo Maria! Tu illa de qua conceptus est, & natus est Jesus. Qui dicitur Christus? Sanctissimus de sancta, purissimus de purissima Matre. Tu pro quaidem oravit & impetravit Psal. 21.

Ut.

ut eriperet Pater æternus *de manu canis unicam  
 suam.* Tu victrix Judith: Tu Aſveri Juſtitiz, mode-  
 ratrix Eſther. Tu ad Salamonis dexteram, collo-  
 cans thronum ſuum, Berſabet, tu ne ad momen-  
 tum quidem in domum peccati, reverſa, Ruth. c. 2.  
 Tu filo purpureo, pereuntibus Jerichontinis, no-  
 tata Rahab. Tecum tranſferrentur montes in cor-  
 maris, & turbarentur gentes, adjuvit non manè ſo-  
 lum, hoc eſt conceptam in utero, Deus. Pſal. 45. ſed  
 manè diluculo, id eſt in ipſa conceptione Te radi-  
 care voluit in populo honorificato: & præſervavit,  
 à populo peccatis infami & deſonorato Tuam hæ-  
 reditatem, cenſeri juſſit in parte Dei tui, & diviſit à  
 parte peccati & diaboli. De te quicquid orbis di-  
 cat, quicquid cenſeat, parum ad meritum dignita-  
 tis ſuz cenſet. *Tu gratiarum pelagus, conceptaculum  
 potentia Divina, ſanctitatis theſaurus, officina im-  
 menſorum bonorum, omnem mentis captum, & in-  
 telligentiam ſuperantium, ut tuus ſatur Damas: Ora  
 pro me miſero, & innumeris peccatis coram filio  
 tuo vernaculo, & ſuſcipe duo minuta, vocis, & hu-  
 jus exigui operis: animæ & corporis, vitæ, &  
 mortis: quæ tuæ Majeſtati, atque ſingulariter im-  
 maculatæ conceptionis honori, & per Te, JESU  
 Chriſto filio tuo, æternum devoveo. Huic laus  
 & gloria in ſæcula ſæculorum,  
 Amen.*

F I N I S.